

I D. D.

DISSE

TATIO PHILOSOPHICA

DE

MENSURA MORALITATIS,

QUAM,

Consensu Ampliss. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboëns.

PRÆSIDE

MARTINO JOHANNE WALLENI

O

Math. PROF. Reg. & Ord.

Publico bonorum examini

PRO GRADU

Subjicit

ABRAHAMUS LAVONIUS

WIBURGENSIS,

IN AUDITORIO MAJORI D. V. die XXVIII. Junii

Anno MDCCCLXIII.

H. A. M. S.

A B O Æ,
Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

AUCTORI,

AMICO HONORATISSIMO!

Diu jam plures conquestos audivi gratulationes, quibus
opellæ filiorum Apollinis decorari solent, ita luxuria-
re coepisse, ut microscopiorum, objecti magnitudi-
nem benignius exhibentium, indolem referre videantur. Quæ
enim antea veritate magistra modicis laudibus & votorum
gravitate continebantur, tanta jam laudum farragine turgero
dicuntur, ut qui illas legit, non Minervæ cultorem quen-
dam sed Minervam ipsam laudari, non filiorum Apollinis
studia & industria, sed Apollinis ipsius sapientiam prædicari
facillimo erto crederet. Ita seilicet omnem Aganippidum
quam imbibisse adfirmantur, qui dulcedinem ejus vix pri-
mis gustarunt labris. Hoc cum ita sit, mirari non conve-
nit, eo jam ventum esse, ut paucissimi reperiantur, qui vel
tantillum hujusmodi elogiis fidei habeant, & quo majoribus
quis excellit virtutibus, eo hac se indigniora judicet. Tuas
igitur A. H. laudes, ne invidere illas Tibi videar, intan-
etas hec loco relinquo, in votis pro omnigena Tua felici-
tate ardenter futurus. Conseruet Te Summum numen so-
lo item & incolarem in annos bene multos, & quemadmo-
dum Tuis moribus optimam Tibi singis fortunam, ita il-
lam in bonis suis Tibi impertieadis luxuriantem semper ex-
perire. Vale!

J. L.

M. N. J. E.

PROOEMIUM.



requentes in scientiis occur-
runt veritates, quæ sine con-
sideratione quantitatis objecto
proposito inhærentis, rite in-
telligi & applicari nequeunt.
Hanc utique adesse, eamque
in definito quovis casu deter-
minatam aliquam, generaliter
quidem facile concipitur; si vero ratio simul haben-
da erit circumstantiarum eam modificantium, pro-
quarum diversitate in immensum variat, magnæ
difficultatis sæpe est negotium, illam, quæ hic &
nunc obtinet, quantitatem accuratius metiri. Sie
ea omnia quæ in Mathesi & Physica pertractari

solent, certa gaudere quantitate, sine operosa dis-
 quisitione omnibus in confesso est. Verum quan-
 titatis gradum in dato quoque casu, fixo nu-
 mero adsignare, altioris est indaginis, & multum
 laboris requirit; quin imo arduum hoc opus o-
 mnem non raro eludit humanam industriam. Id-
 em in doctrina morum obtinet circa rerum &
 affectionum moralium quantitatem. Hanc scilicet
 dari, licet omnes fateantur; difficile tamen est i-
 psam in abstracto & theoretice consideratam deter-
 minare; difficillimum autem, ne dicam ultra hu-
 manas vires positum, in unoquoque ente morali
 exacte æstimare & ad calculos revocare. Infinitæ
 enim, quibus individua vestita sunt, determinati-
 ones, & quarum minutissima totam sæpe variat rem,
 insuperabiles hic pariunt difficultates. Cumque vel
 summa hujus doctrinæ, in toto suo ambitu specta-
 tæ, longe majoris sit extensionis, quam ut imbecil-
 les nostræ vires illam totam persequi valeant: uni-
 cam tantum ejus particulam pro modulo ingenii
 executere constituimus. Ea nimirum explicabimus
 momenta, quæ quantitatem actionibus hominum
 liberis inhærentem absolvunt, & mensuram mora-
 litati earum æstimandæ exhibent. Dum vero hæc
 molimur, tuum C. L. favorem, quo par est ver-
 borum honore expetimus.

§. I.

Quantitas in genere definiri solet per determina-
 tionem rei intrinsecam, quæ tantum dari,
 sed

5

sed sine alio adsumto intelligi nequit vid. WALL.
Syst. Met. T. II. §. 459. Enimvero quantitas ex
alia recte intelligi non potest, nisi vel rationem
inter se habeant, adeoque ejusdem plane sint ge-
neris, vel saltem illa huic affinis sit & proporcio-
nalis. Quantitas igitur instar unitatis adsumta &
ad determinandam aliam ipsi homogeneam adhi-
bita, hujus *mensura* sensu strictissimo & maxime
proprio appellatur: ex. gr. pes quadratus, superfi-
cierum. Frequenter autem nec immerito etiam
hoc nomine insignitur quantitas alteri licet non
homogenea attamen proportionalis: videlicet si duo
fuerint quantitatum genera, diversa quidem & quo-
rum hoc illo ut notius & intellectu facilius con-
cipitur, sed sibi mutuo ita adhærentium & respon-
dentium, ut hæ eandem ac illæ inter se servent
rationem: hæ illarum dicuntur *mensuræ*, ex. gr. ar-
cus circulares, angulorum planorum; superficies
sphæricæ, angulorum solidorum vid. *Kongl. Vet. A-
cad. Handl.* 1763. p. 62. seq. Ut adeo metiri nihil
sit aliud, quam rationem quantitatis cuiusdam ad
aliam pro unitate sumtam exigere, cfr. WALL.
Syst. Met. T. II. §. §. 819. 820.

§. II.

Quantum omne ut ex pluribus compositum con-
cipere licet; unde, pro vario compositionis modo,
quantitas in *Logicam*, *Physicam* & *Moralem* dividi
solet; & istæ quidem de ideis, quatenus magis vel

minus generales sunt, & hinc quoque de judiciis nostris, prædicari; illa corporibus præcipue eorumque viribus & effectibus tribui; generaliori autem sensu rebus finitis quibuscumque est adjudicanda, materialibus, immaterialibus, substantiis, accidentibus, quatenus earum rerum plus vel minus vere extra intellectum cogitantis & citra omnem intellectus aut voluntatis nostræ operationem, existit; Hæc denique est multitudo graduum existimatio-
nis, secundum quam ens intelligens res inter se comparat, alias aliis anteponendo, postponendo, æ-
quiparando. cfr. CANZ. *Discipl. Mor. App.* §. 95.
Moralis hæc quantitas triplici potissimum facie se nobis offert. Alia rebus tribuitur, quæ proprie
pretium vocatur; alia personis, quæ speciatim exi-
stimatio atque dignitas dicitur, ut & cum præce-
denti, communi nomine *valoris* sæpe indigitatur;
alia denique *actionibus*, item *affectionibus habitibus*-
que voluntatis moralibus competit, quæ ipsa boni-
tatem illam & pravitatem moralem, quam uno vo-
cabulo *Moralitatis* designant, absolvit. Neque abs
re erit hoc loco observasse: quia facultates ani-
mæ, intellectus, voluntas &c. suis etiam gaudent,
ut experientia fidissima rerum magistra abunde te-
statur, gradibus: nihil impedire, quo minus & il-
læ quantitatem habere dici queant. Quantitas hæc,
quæ quantitatis *Physice*, generali sensu acceptæ,
speciem quandam constituit, *Psychologica* vocari
posset. Ejus videlicet objectum erunt facultates,
operationes & motus animi, quippe quorum va-
rios

rios quin innumeros fere gradus, qui instar unitatum considerari possunt, concipere non repugnat. Et quoniam hæc quantitas cum morali, præsertim illa, quæ ad liberas nostras actiones pertinet, adeo arctum habet nexus, ut hæc sine illa ne intelligi quidem, nedum dijudicari & estimari queat: ipsius in præsenti tractatione potissimum quoque habendam esse rationem, per se patet.

§. III.

Quanquam ex Philosophia Morali notissimum supponere liceat, quid per actiones morales, earumque Moralitatem hic intelligatur: nihil tamē minus in ipsum moralitatis fundamentum paulo penitus inquisivisse juvabit. Hoc quodnam constitutendum sit, inde ab illo tempore, quo excolcepit Philosophia moralis, eruditorum torsit ingenia; nec meliori successu in hac alea versati sunt plerique, quam ut rem in se non adeo difficultem confusione involverint & obscuram reddiderint magis quam dilucidarint. Notissimæ sunt, quæ de hac re inter Grotii & Pufendorffii asseclas agitatæ sunt controversiæ; illis moralitatem mere objectivam, his subjectivam statuentibus. Notiores sunt etiam, quæ nostro seculo super hac quæstione fuere dissensiones, quam ut illas hic enarrare opus sit. Relictis igitur iis, nostram sententiam paucis pro instituti ratione explicabimus. Quocirca in antecessum observamus, per fundamen-

mentum moralitatis nihil aliud nobis significari, quam rationem sufficientem, unde intelligi & cognosci potest, cur actiones, motusque interni animi seu voluntatis, quin & habitus atque inclinationis mentis humanæ, sint moralitatis capaces. Hæc ratio, si adæquata erit, ut oportet, neque ex sola Legislatoris voluntate & intentione, sine respectu ad subjecti agentis qualitatem; neque ex subjecti natura & conditione, absque relatione ad voluntatem Legislatoris, derivari potest. Ad utramque enim harum respectum involvit, adeoque ab utraque conjunctim est deducenda. Scilicet tum demum legis **capax** & hinc ad **actiones morales** seu moraliter bonas vel malas edendas aptum erit ens aliquod: si 1) facultatem habeat intelligendi normam, secundum quam actiones suas componat: 2) ad suscipiendas actiones, illi normæ congruas vel contrarias, libere se determinandi: 3) dependens sit nec sui juris, sed ad obsequendum voluntati superioris alicujus seu legislatoris, normam illam præscribentis, obligatus. Cum jam homo ens sit non modo intelligens atque liberum, sed & finitum adeoque contingens, quod & qua existentiam ejusque conservationem & cætera omnia quæ possidet bona, non a se ipso est, sed totum a DEO O. M. pendet; facili ratiocinio adsequitur, se ad actiones suas voluntati Conditoris sui conformandas esse obstrictum. Cui enim quis vitam & quæ habet cætera, in totum debet, ejus etiam juri illum subiectum esse, res est evidentissima. Hoc ipsum cum non

non possit non agnoscere quilibet homo secum habitanus; eo ipso etiam fatebitur, se ad voluntati Divinæ tanquam legi parendū, esse obligatum. Quemadmodum jam ex dictis intelligitur generale moralitatis actionum humanarum fundamentum, speciatim in relatione ad jus Divinum: ita simul patet Legislatorem ~~xer' εξοχήν~~ & summum esse DEUM O. M. Hic autem substantias cum rationales tum brutas & inanimatas produxit, singulas propriis facultatibus & viribus instruxit, & ad suos quasque fines aptavit. Itaque quid enti rationali faciendum vel omittendum sit, hoc est, quid moraliter bonum vel malum, a voluntate finibusque Creatoris Optimi & Sapientissimi derivandum; & ubi illa immediato quodam dictamine declarata non est: rationis lumine dijudicandum ex attributis Divinis; ipsa constitutione naturali seu essentiali cum personæ agentis, tum entium aliorum ipsi adjunctiorum, atque nexu & relatione inter hæc & agentem intercedente; quæ omnia temere & nullo consilio a Sapientissimo universi Statore sic & non aliter esse ordinata, excors est qui cogitaverit. Hinc deducuntur officia erga DEUM, semet ipsum & alios, nec non circa res brutas & inanimatas, Jure Naturæ præscripta. Ex iis, quæ leviter tetigimus, reæte pensitatis atque in summam collectis, tuto inferri existimamus, totam illam controversiam de moralitate subjectiva & objectiva, in puram abire logomachiam, cum neutra, alterutrâ remota, concipi queat. Junctim ergo hæc notiones erunt consider.

siderandæ, ita ut statuatur, moralitatem tam esse
 objectivam quam subjectivam & quidem simul. Sic
 objectiva statui potest, quatenus actiones per suam
 naturam & essentiam cum suis consectariis nos fe-
 liciores aut infeliciores reddunt, posita nimurum
 hac & non alia natura hominis seu agentis. Enim-
 vero (præterquam quod hoc suæ perfectionis pro-
 movendæ principium, prætice spectatum, meras
 prudentiæ regulas non autem majorem aliquam
 necessitatem moralem seu proprie dictam obligatio-
 nem parat) eum natura humana & totum hoc u-
 niversum dependeat a voluntate DEI: sequitur DE-
 UM, volendo hanc naturam, etiam voluisse hanc
 moralitatem, hoc est illam, quam vocamus subje-
 ctivam. Ergo fundamentum moralitatis non so-
 lum est actionum natura & indoles, verum & li-
 berrima DEI voluntas, quæ constituendo hanc re-
 rum seriem, constituit etiam hanc relationem actio-
 num ad agentes. Cfr. hanc in rem DARIES *Inst.*
Jurispr. Univ. P. G. C. I. §§. 66, 67, 68.

§. IV.

Virtutem unam aliâ maiorem & præstantio-
 rem, vitiumq; aliud alio majus & gravius, actio-
 nem aliam aliâ honestiorem vel turpiorem esse, o-
 mnes absque prolixiori disquisitione ultro nobis lar-
 giteros existimamus. Moralitas ergo actionum hoc
 respectu varios admittit gradus. Cum vero quan-
 titas moralis vi def. in §. II. allata nihil sit aliud,
 quam

8) ii (8

quam multitudo graduum existimationis &c. patet moralitatem instar quantitatis considerari posse, adeoque esse mensurabilem cfr. WALL. *Syst. Met.* T. II. §. 824 seqq. Hæc autem mensura non tam exacte a nobis iniri potest, ac in disciplinis, quæ extensorum magnitudines & corporum phænomena contemplantur. Ratio ejus rei a diversa natura quantitatum harum & moralis, adeoque & diverso eas metiendi modo pendet. Sie quantitates rerum corporrearum inter se exactius comparari, mensurari ac in certas partes dividi & adcuratissime exprimi non raro possunt. In moralibus autem longe aliter res se habet, ubi objecta in sensus & imaginationem non cadunt, neque singula, ob infinitam circumstantiarum, quæ in censum venire debent, multitudinem, ad vivum resecari possunt. Hæc cum ita sint, vides affectiones morales non tam exacta proportione, ac extensorum, definiri posse. Sufficiat itaque nobis adduxisse potissima rerum momenta, in aestimandis moralitatis gradibus mensuræ instar inservitura.

§. V.

Qui completam, quam in Psychologia tradere solent philosophi, libertatis ideam animo conceperit, haud difficulter adsequetur, libertatem actionum humanarum supponere in agente distinctam cognitionem, spontaneitatem & actionis contingentiam. Hæc vero requifita, cum diversos recipere possint

gradus: libertas etiam, quæ his conjunctim summis absolvitur, gradus admittat, necesse est. Quo itaque distinctioribus quis de actione sua utitur notionibus, quo major in quoque casu est voluntatis spontaneitas, & quo denique major est ipsa actionis contingentia, eo major etiam erit oportet gradus libertatis. *Moralitas* autem actionibus cum tribuatur (§. III.) nonnisi quatenus ad Legem relatæ, prælucente intellectu & decernente voluntate, salva actionis contingentia h. e. libere suscipiuntur: patet laudata *Moralitatis* quantitatem, a quantitate libertatis atque majori vel minori agentis a superiore seu Legislatore dependentia (§. cit.) totam pendere; cfr. DARIES Inst. Jurispr. Univ. § 162; ubi tamen mentionem alterius hujus momenti, videlicet relationis inter agentem & superiorem, jure desiderari existimamus.

§. VI.

Quo magis vel minus distincta notione, quis actionem iuscipliendam cum suis consecutariis sibi representare valet, eo major vel minor ejus est libertas, si cætera requisita paria fuerint. Est libertas potentia activa ad unum ex pluribus agenti possilibus distincte cognitis, sponte se determinandi. (*) Quo ergo distinctior est cognitio, eo etiam major hoc respectu erit libertas.

(*) *Libertas* cum ipsi agenti tribuitur, designat vel distinctam illam animi facultatem, vel ipsum actum seu facultatis illius exercitium; de ipsis vero actionibus prædicatur, quatenus ex facultate illa proficiuntur.

§. VII.

Quo major est voluntatis spontaneitas, eo quoque majorem esse libertatem, ceteris requisitis positis aequalibus, ex definitione libertatis adeo evidens esse arbitramur, ut idem hoc loco demonstrare, opus haud esse videatur. Maximum itaque spontaneitatis gradum maximam etiam, quæ dari potest, libertatem efficere; & ubi minimus adest spontaneitatis gradus, ibi & minimum libertatis concipi debere, simul patet; ut & omnia, quæ spontaneitati aliquatione officiunt, illamque imminuunt, libertati simul aliquid derogare.

§. VIII.

Quo plura nobis uno eodemque tempore & quo maiori gradu possilia sunt, eo major est actionis, quæ a nobis editur, contingentia; & quo major actionis est contingentia, eo etiam major sit libertas, necesse est. Tertium hoc erit generale principium, ex quo omnem libertatis & pendentis hinc actionum moralitatis quantitatem derivandam esse statuimus. Veritas hujus asserti ex definitione libertatis clarissima consequentiâ deducitur. Diximus libertatem esse facultatem ad unum ex pluribus agenti possibilibus distincte cognitis sponte se determinandi; quo ergo plura sunt, quæ ut actu possilia cognoscuntur, eo major etiam eligendi datur copia, & per consequens eo major libertas.

§. IX.

Quo magis, cæteris paribus, a superiore quis dependet, seu ad obsequendum ejus voluntati obligatur, eo majorem ipsius actionibus inesse moralitatem, ex ipsa moralitatis notione genuina manifestum est, & supra jam inculcavimus. §. §. III. V.

Schol. Posito autem eodem Legislatore & pari agentis dependentia, non nisi ad reliqua illa momenta (§. §. VI. VII. VIII.) quorum in æstimanda moralitate ratio est habenda, in sequentibus attendere placet.

§. X.

Ex tribus illis generalibus principiis (§. §. VI. VII. VIII.) omnem, quæ de quantitate libertatis dari potest, cognitionem arcessendam esse, in præcedentibus vidimus. Cumque illa in ipsa libertatis natura atque definitione fundata sint, actionibus autem non nisi liberis moralitas competit (§. §. III. V.) fieri nequit, ut detur actio aliqua moralis, ad quam illa omnia aliquatenus saltē applicari non possint. Attamen cum circa actionem aliquam sufficiendam, unum vel alterum libertatis requisitum cæteris præponderare queat: haud raro evenit, ut pro huius vel illius requisiti superpondio, secundum unum vel alterum dictorum principiorum, de quantitate libertatis potissimum judicandum sit. Quæ autem positis omnibus his ad libertatem requisitis

æqua-

qualibus, & apud agentem in summo, quem obtinere possunt, gradu presentibus, sunt actiones, illæ quidem maximum habent libertatis gradum & proinde maximam etiam, quæque in suo genere (cfr. Schol. §. præc.) habent moralitatem. Cætrum ex laudatis illis principiis recte applicatis permulta deduci possunt regulæ & conlectaria, quorum sequentia tantum memorabimus:

Coroll. I. Ignorantia & error, quorum nos ipsi non sumus cauſa, utpote quæ distinctionem idealium plane tollunt, libertatem mentis totam evertunt, adeoque ille, qui ex ignorantia vel errore involuntario, efficaci, invincibili & quidem in se & sua causa tali, agit, libere egisse non est censendus; neque casibus fortuitis ulla inest libertas. cfr. §. VI. VIII.

Coroll. II. Quæ cum ignorantia vel errore concomitante sunt, eorum moralitas ex gradu libertatis in subsequenti adprobatione, metienda est. cfr. §. VI. VII.

Coroll. III. Ignorantia & error sponte arcessitus circa factum quidem libertatem tollit; veruntamen cum ex abusu libertatis suam ducant originem: moralitas facti estimanda est ex gradu libertatis, quem tenuit agens, antequam in hunc statum devenerat; adeoque 1) is qui ex ignorantia affectata agit, majori gaudet libertate, quam qui ex supina; 2) ignorantia nude vincibilis minorem ostendit libertatem, quam affectata & supina. 3) Quo plura & majora fuerint impedimenta excutienda Ignoran-

rantia vincibilis: eo minor; quo autem pauciora & leviora: eo major concipi debet agentis libertas. cfr. §. §. VI. VII. VIII.

Coroll. IV. Quæ per se actionem aliquam comitantur, plus libertatis habent, quam quæ per accidens ex illa sequuntur; hæc quippe ex ignorantia fiunt; & si actio primaria mala sit, culposa tantum censemur. cfr. §. VI. & Cor. I. III.

Coroll. V. Qui conscientia certa aliquid agit, majori utitur libertate, quam qui probabili solum; qui autem conscientia dubia laborat, eatenus libertatem non habere videtur; æquales enim quæ ab utraque parte ponuntur rationes, alias alias sic destruunt, ut quasi simplex quædam ignorantia remaneat. cfr. §. VI. Si tamen rationibus dubitandi de actionis certitudine (hyp.) distinete peripectis, eam nihilominus suscepit h. e. conscientia dubia egerit: libertate sua sic abutendo peccat.

Coroll. VI. Quo proprius ad certitudinem accedit probabilitas iudicij conscientia, eo major in agente libertas; & quo longius a certitudine distat, eo minor concipi debet, quantitasque libertatis ex quantitate probabilitatis, secundum regulas sanioris Logicæ metiendâ, cæteris paribus, æstimanda est. cfr. §. cit.

Coroll. VII. Qui minimum possident cognitionis gradum, vel confusis tantum sive ob ætatem immaturam, sive aliud intellectus vitium; sive defectum institutionis, aliave impedimenta non sponte arcessita,

sita, utuntur notionibus, libertatis parum aut vix capaces censentur. cfr. §. cit.

Coroll. VIII. *Actio deliberata;* quæ destinato & præmeditato consilio fit, magis libera est, quam *indeliberata*, quæ absque prævia consultatione suscipitur. cfr. §. VI. VII.

Coroll. IX. Quo plura & fortiora quis sibi repræsentare valet *motiva*, ab ipsa distincta actionis suscipienda notione petita, eo majori libertate gaudet, & contra. Et cum consectetur, quæ naturali necessitate ex actione aliqua consequuntur, si antequam actio suscepta fuerit, intellectui repræsententur, motivorum loco sint; actionum moralitas etiam ex consectetur, quæ prævideri poterant, multitudine, æstimari potest. cfr. §. cit. & DRIES Inst. Jurispr. Univ. §. 169.

Coroll. X. *Actio*, quam *coactam* nonnulli adpellant, cum ei nihil insit spontanei, nec libera dici potest, illaque adeo omni moralitate est privata. (§. VII. VIII.)

Coroll. XI. *Actio invita*, cum ex sponteitate, per advenientes caussas externas valde imminuta, proveniat, minus est libera, quam *ultronea*, seu *plane voluntaria*; adeoque etiam morali æstimatione tanti ac hæc censenda non est. cfr. §. §. eitt.

Coroll. XII. De actionibus *mixtis* idem quod de *invitis* (Cor. XI.) quarum per omnia naturam referunt, judicandum est.

Coroll. XIII. Quo plura fuerint *motiva externa*, quibus quis ad agendum determinatur, eo minor est

spontaneitas, & per consequens libertas, cfr. Cor. XI, & §. VIII.

Coroll. XIV. Actioni interne honestæ major competit moralitas, quam illi quæ externa solum honestate se commendat. (Cor. præc.) Ad hanc enim suscipiendam pluribus motivis extrinsecus advenientibus, ut imperio, vi, metu, svasu, cæteris, impelli potuit agens.

Coroll. XV. Quæ ab internis solum, & quæ a perfectionibus Divinis desumuntur, motivis, suscipiuntur, omnem alium honestatis gradum superant. (Cor. IX.) cfr. Cor. XIV.

Coroll. XVI. Contra: parem ob rationem, actiones dolosæ, ex proposito, præsertim si clandestinæ sint, turpissimæ censemur.

Coroll. XVII. Actioni ad auctorem principalem relatæ plus inest moralitatis, quam respectu auctoris minus principalis vel instrumentalis spectatae (Cor. X. XI. XIII.) Hic enim vel necessitate quadam externa, vel faltem pluribus, quam ille, motivis extrinsecis ad agendum impellitur.

Coroll. XVIII. Quæ intentione directa sunt actiones, majorem habent libertatis gradum, quam quæ ex intentione indirecta sequuntur; & actio primaria magis libera est quam secundaria. (§. §. VI. VII. VIII.)

Coroll. XIX. Quo difficilior agenti fuerit actio moralis, eo major erit ejus moralitas. Eo scilicet major ejus censenda est contingentia; quippe cum vel eo plura actu sunt possibilia, vel opposita actio eo magis possibilis. cfr. §. VIII.

Coroll. XX. Eo major actioni competit moralitatis gradus, quo plures adsunt rationes contrariam suadentes. cfr. Cor. præc.

Coroll. XXI. Quæ ex propensione quadam naturali, & vi temperamenti fortiter inclinantis, aut vero ab homine affectuum turbine abrepto fiunt, minus censi debent libera, quam quæ iis remotis committuntur. cfr. §. VIII. & Cor. XIX.

Coroll. XXII. Quæ autem ex inveterata & in habitum jam mutata consuetudine fiunt, in iis gradus libertatis, ex illa, quæ repetitis istis actibus, quibus consuetudo agendi adquisita fuit, inest, libertatis quantitate, mensurandus est.

Coroll. XXIII. Actionum coactarum & mixtarum, ob officiorum collisionem, vel nulla vel exigua est contingentia: per pauca enim sunt, quæ in his casibus, ut actu possibilia, intellectui repræsentari possunt. cfr. §. VIII.

Coroll. XXIV. Quo minor alicui contigit rerum cognitio, eo minor libertatis gradus illi competit; minor quippe respectu ejus est actionum contingentia (§. VIII.); pauciora enim sunt, quæ simul sibi repræsentare valet.

Coroll. XXV. generale. Quia (§. V.) gradus moralitatis sequitur gradum libertatis, quo agens circa agendum usus est: quæ jam de quantitate libertatis, in unoquoque horum casuum dicta fuere, de quantitate moralitatis etiam intelligenda sunt.

§. XI.

Dici vix potest, quam late per omnem vitam

20

humanaam pateat usus hujus doctrinæ de mensura
actionum moralium. Substernit illa fundamentum
imputationi, in qua semper, absoluta prima quæstio-
ne: *quis auctor actionis fuerit*, quæritur: *quanta fue-
rit agentis voluntas*; ut ex ejus quantitate determina-
nari possit vel jus agentis ad præmium, vel obliga-
tio ad pœnam. Indispensabilis itaque est ejus usus
in Jurisprudentia Legislatoria, quemadmodum &
ad applicatione legum ad facta; & vix quisquam pro-
spero successu in arduo juris dieundi negotio ver-
sabitur, qui non animum his principiis probe te-
nuerit imbutum. Confuse ex casuum similitudine
de moralitatis & imputabilitatis quantitate judica-
tur. Fallunt sæpius in applicatione, quæ tam lubri-
co fundamento superstruuntur, judicia. Distincte
illarum rationes perspiciendæ erunt, si illæsa & in-
concupsa in societatibus humanis vigebit nobilissi-
ma justitia. Quomodo autem ad distinctam illarum
perveniri potest cognitionem, nisi ad ipsos mora-
litatis fontes fiat regressus? Generalissima, quæ ad
hunc scopum adsequendum faciunt, adulisse nobis
sufficiat. Attento Lectori, ut specialiora ex
datis principiis eruat, relinquimus.

T A N T U M.
S O L I D E O G L O R I A!

